

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 154. Sessio XV. sententia definitiva alta voce promulgata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

set. Posthæc Advocatus rogabat, ut Pa-<sup>sæcul.</sup> **XV.**  
 tres pro publicanda adversus ambos Com-A. C. 1409.  
 petidores sententia certam diem dicerent;  
 igitur præfixa est quinta Junii, quæ erat  
 proxima Mercurii dies. Interea tamen  
 prima die dicti Mensis habita est Con-  
*Sessio XIV.*  
 gregatio, quam non pauci Scriptores de-  
 cimam quartam appellant Sessionem, cum  
 eadem, quæ in aliis Sessionibus, in hac  
 celebrata essent solemnia. In illa Archi-  
 episcopus summatim relegit Articulos,  
 testiumque numerum, ac cuiusvis digni-  
 tatem atque gradum, suppressis tamen  
 eorum nominibus; tandemque subjunxit,  
 quod omnibus & singulis ipsa instrumen-  
 ta seu ipsas testium depositiones forsitan in-  
 spicere cupientibus, proxima feria secun-  
 da, & tertia in Conventu Carmelitarum  
 ea inspectandi copia daretur.

### §. CLIV.

#### *Sessio XV. Sententia definitiva alta voce promulgata.*

Congregatio præcedens viam parasse *Niem de*  
*videtur Sessioni decimæ quintæ, fe- / schi / m. l. 3.*  
*ria quarta die quinta Junii in vigilia festi* <sup>c. 44.</sup> *Conc. Labb.*  
*Corporis Christi celebratæ. In ea Ad-* <sup>tom. XI.</sup> *vocatus postulat, ut Cardinales aliique* <sup>Specil. tom.</sup>  
*Prælati hunc in finem speciatim nomina-* <sup>VI. p. 523.</sup>  
*ti ad portas Ecclesiæ accederent, ambos*  
*do*

**Sæcul. XV.** de Papatu contendentes denuo citaturi.  
**A.C. 1409.** Quo facto, ac Neutro eorum vel per se  
 vel per Procuratores suos comparent, Patriarcha Alexandrinus, assistantibus  
 Antiocheno atque Hierosolymitano Patriarchis in editorem locum ascendere a  
 Synodo jubetur, ubi elata voce in conspe-  
 ctu totius Concilii & populi, qui etiam ad-  
 mittebatur, apertis Ecclesiæ foribus de-  
 cretoriam pronuntiant sententiam, his  
 verbis conceptam. *Hæc sancta & univer-  
 salis Synodus universalem Ecclesiam repræ-  
 sentans, & ad quam cognitio & decisiō hu-  
 jus caussæ nosciur pertinere, visis & dili-  
 genter examinatis omnibus & singulis pro-  
 ductis, probatis, agitatis in præsenti causa  
 unionis Ecclesiæ, & schismatis contra Pe-  
 trum de Luna Benedictum XIII, & Ange-  
 lum Corario Gregorium XII olim appella-  
 tos, declarat utrumque esse notorios schisma-  
 ticos, & schismatis nutritores, hæreticos, per-  
 jurii crimine irretitos, & violatores voti,  
 universalem Ecclesiam sanctam Dei notorie  
 per contumaciam eorum scandalizantes ipsos  
 que & eorum utrumque omni honore ac di-  
 gmitate abjectos & privatos, ac etiam ipso  
 facto ab Ecclesia præcisos: Insuper intinet  
 omnibus Christi fidelibus, sub pœnis excom-  
 municationum, ne ipsis quomodolibet pareant,  
 aut consilium vel favorem ipsis præfent, sin-  
 gulos Processus & sententias ab ipsis contra  
 eos, qui unionem promoverunt, latas irri-  
 tas,*

tas, cassas & nullas esse declarat, præcipue sæcul. XV.  
 nuperas promotiones Cardinalium, per An-  
gelum Corarium a die tertia Maji anni præ-  
cedentis, & per Petrum de Luna a die decima  
quinta Junii ejusdem anni factas. Recitata  
 hac sententia & Ambrosiano Hymno so-  
 lemní ritu decantato cunctis Concilii  
 membris inhibitum est, ne sine licentia  
 & antequam sententiæ subscriptissent, di-  
 scederent.

A.C. 149.

## §. CLV.

*Epistola Parisiensis Universitatis ad  
Concilium.*

Eadem die Universitatis Parisiensis De- *Hist. Uni-*  
 putati ad Patres Concilii dederunt *re's Paris.*  
 literas, quibus succinctam eorum omnium, *tom. V pag.*  
 quæ ad procurandam unionem agitata *192.*  
 fuere, communicabant relationem. *Monstrelet.*  
 Eodem tempore Cardinalis de Chalanto Be- *p. 87. vol. I.*  
 nedicti partibus olim addictus Synodum  
 Perpinianam, cui interfuit, derelinquens  
 præsenti huic Sessioni accessit. In ea scri-  
 ptum legebat Cardinalis Pisanus, vi cu-  
 jus Cardinales spondent, se nunquam Sy-  
 nodum dissolvi passuros, donec debita ac  
 sufficiens confecta esset reformatio Uni-  
 versalis Ecclesiæ tam in Capite, quam in  
 membris suis, seque, si quis eorum ad  
 summum Pontificatum assumeretur, om-  
*Hist. Eccles. Tom. XXV.*      O      nibus